



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pastorum Continens Doctrinas, & Industrias ad Pastorale  
Munus piè, fructuosè, ac securè obeundum pertinentes,  
Unà cum Casibus frequentius circa idem Officium  
occurrere solitis, & ex communiote ...**

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1678**

Capvt Primvm. De Fine Pastoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49267](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49267)

PARS PRIMA.

De Doctrinis circa propriam Personam à Pastore observandis.

**H**Æ universim ad duo capita revocari possunt, nempe ad finem, qui præfixus esse debet Pastori, & ad media, quibus ad eundem finem certius, abundantiusque consequendum uti oportet, quæ quidem utraque sequentibus duobus capitibus explicabuntur.

CAPUT I.

DE FINE PASTORIS.

**A**D hunc clarius cognoscendum variæ quæstiones elucidandæ occurrunt, nimirum 1. quid & quotuplex sit Pastor. 2. Quæ qualitates intrinsecæ & extrinsecæ ad eundem requirantur. 3. Quod sit officium illius, & quid potissimum in executione ejusdem sui officij observare debeat, quæ omnes majoris claritatis gratiâ per diversos iterum paragraphos resolventur.

§. I.

De Pastore in genere.

Qu. 1. *Quid sit Pastor animarum?* R. esse Clericum Beneficiatum curam animarum actualem habentem, in qua definitione pro genere remoto ponitur Clericus, partim ut innuatur, neminem posse esse Pastorem, nisi in SS. Ordinibus constitutum; partim ut significetur, hoc prædicatum Clerici commune ei esse cum aliis Clericis. Pro genere proximo verò Beneficiatus ponitur, per quod distinguitur partim ab aliis Sacerdotibus nullum Beneficium Ecclesiasticum habentibus; partim verò convenit cum ijs, qui actu fruuntur tali Beneficio. Intelligitur autem hoc loco per Beneficium Ecclesiasticum nihil aliud, quàm Jus perpetuum auctoritate Ecclesiæ

Instructio IV.

A

con-



constitutum ad fructus ex bonis Ecclesiæ propter officium ab  
quod spirituale percipiendos. Denique pro differentia ponitur  
*Curam animarum habens*; per hanc enim distinguitur  
partim à Sacerdotibus simplici officio gaudentibus, id est,  
præcisè ad Officia Divina obeunda constitutis, quales sunt  
Canonici & Capellani; partim à Sacerdotibus duplici quodam  
Officio fruentibus, sed quod præcisè in Eminentia quadam in  
Ecclesia, seu loco honoratiore in Choro, Processionibus, Sol-  
fragiis ferendis consistit, ut Personatus; vel certè non nisi  
simplicem rerum Ecclesiasticarum administrationem habeat,  
qualia sunt Officia Custodis, Thesaurarij, Primicerij, Archi-  
presbyteri & similia.

Porro, ut hæc ipsa differentia melius intelligatur, nota-  
dum est ex Barbofa c. 1. de officio & potestate Parochi num.  
47. curam animarum in Beneficiis dupliciter considerari pos-  
se; primò latè & improprie, quatenus scilicet nudam potes-  
tatem Fori contentiosi in ordine ad mores corrigendos con-  
sinet; & sic omne Beneficium habens Jurisdictionem Visitan-  
di, Excommunicandi, Absolvendi &c. curam animarum ha-  
bere dicitur. Secundò strictè & proprie, quatenus scilicet  
curam pœnitentialem in foro animæ, seu obligationem ad  
Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extrema  
Unctionis, Matrimonij, aliquibus, qui ea ab eo suscipere ve-  
nientur, administranda significat. Quæ iterum subdividitur  
in habitualem, & actualem: Illa est, quæ apud aliquem in  
visione alicujus Beneficij in fieri, sed non in facto reperitur,  
eò quòd scilicet executionem potestatis non habeat, vel de-  
fectu Tituli spiritualis per unionem accessorie factam ex-  
ceti; vel quia ex privilegio seu consuetudine levatus fuit onere  
exercendi actu eam potestatem. Actualis est, quam quis  
actu per se in Populum ex necessitate officij, eò quòd scilicet  
in parochiali, vel curato beneficio canonicè intitulatus, &  
institutus est, gerere tenetur; atque hæc proprie Pastorem  
constituit, non autem habituaalis, utpote quæ nec incompati-  
bilitatem causat, nec personalem residentiam requirit, sed per  
modum simplicis Beneficij se habet.

Qu. 2. Quot sint Pastores? R. eos universim in tres clas-  
ses dividi posse; Ad primam pertinent Pastores summi seu  
Papæ, utpote, qui supremam in omnes inferiores Pastores  
pot-



potestatem exercent. Ad secundam pertinent mediati Pastores, nempe Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, eorumque Vicarij, tam Generales, quàm Foranei, seu Decani Rurales, utpote, qui & ipsi ordinariam in inferiores Pastores jurisdictionem habent. Ad tertiam denique spectant Parochi, eorumque Vicarij, Coadjutores, & Cooperatores, quibus immediate cura animarum strictè accepta incumbit, de quibus in hac instructione potissimum agetur, atque adeo eorum nomenclaturam & differentiam breviter prius indicare oportet. Itaque.

Qu. 3. *Quid sit Parochus?* R. esse Rectorem principalem Parochiæ. In qua definitione per Rectorem principalem intelligitur is, qui proprio nomine, & non tantum per modum Substituti, aut Cooperatoris Parochiam administrat; per Parochiam autem intelligitur locus Parochi commissus, in quo degit Populus certis finibus limitatus (unde & Paræcia, seu Accolarum conventus interdum vocatur) & certæ alicui Ecclesiæ deputatus, quæ proinde Ecclesia parochialis dicitur, habetque jus administrandi Sacramenta, Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ; Matrimonij, Cæmeterium erigendi, atque in eo defunctos sepeliendi, decimasque & oblationes pro sustentatione Parochi colligendi.

Qu. 4. *Quid sit Vicarius?* R. esse Sacerdotem, qui Beneficio alicui alieno nomine præest; quorum alij perpetui, alij temporales sunt. Perpetui sunt, qui ad præsentationem Patroni, vel Rectoris per Episcopum suum perpetuo titulo instituuntur. Temporales sunt, qui ad beneplacitum Prælatorum vel Rectorum exponuntur, vel deponuntur; unde magnum inter hos duos Vicarios discrimen est, idque triplex potissimum; nam primò Vicarij perpetui, cum sint intitulati, seu auctoritative instituti, nec à Rectore, nec à Successore illius amoveri possunt ab Ecclesia, aut portione sua fraudari, nisi ob crimen, vel aliam justam causam, per sententiam competentis Judicis id fiat; temporales verò Vicarij hoc ipso, quòd titulum non habent, ad nutum amoveri possunt. Secundò, Vicarij perpetui veri Beneficiati sunt, utpote, qui jus reale, ac verum titulum Canonicum Beneficij acquirunt, non quidem directum (hic enim penes Rectorem, cujus vices gerant, manet) sed utilem portionis ex annuis Parochiæ redditibus



sibi assignatæ, ratione cuius verum Beneficium habere censentur, quia in perpetuum non à Rectore principali, sed ab ipso instituyente datur; secus se res cum Vicario temporali habet, utpote, qui curam animarum non suo, sed Rectoris principalis, aut eum constituentis nomine gerit. Tertio, Vicarij perpetui, sicut tenentur ad Onera Parochorum, aliisque obligationes curæ animarum annexas; ita etiam eorundem commodis gaudent, adeoque quoad omnia Rectoribus Parochialibus in jure æquiparantur, quæ tamen Privilegia & Onera minimè Vicarijs temporalibus conveniunt.

Qu. 5. *Quid sit Coadiutor?* R. esse eum, qui Parochus, si ob ægritudinem animi aut corporis factus est inutilis, ac inhabilis ad officium suum exercendum, ab Episcopo datur; ut illius nomine plenam Parochiam tam in temporalibus, quam in spiritualibus administrationem suscipiat; unde ipsa Qualitibus & Auctoritate præditus esse debet, quæ ad Parochum requiruntur; tenetur etiam jure communi residere in loco, & potest omni tempore amoveri, cum nullum jus & titulum in Parochia, sed nudum ministerium manuale habeat, imò per mortem naturalem & civilem (id est, Depositionem vel Renunciationem) officio suo privetur, nisi forte in Coadjutorem perpetuum cum futura successione datus sit, quod solus Papa facere potest. Distinguitur autem à Vicario temporali, quòd iste ab ipso Parocho assumi possit, Coadiutor autem ab Episcopo detur, qui potest eum etiam invito Parocho obrudere.

Qu. 6. *Quid sit Cooperator?* R. esse Sacerdotem ab Episcopo pro cura animarum approbatum, cui Parochus, aut alius Curator suam jurisdictionem in foro conscientie delegat, eumque in socium laboris adsciscit. Unde facile patet differentiam inter Cooperatorem, & alios supradictos Sacerdotes, quia illi omnes habent ordinariam jurisdictionem, atque adeo partem saltem suæ Jurisdictionis alteri delegare possunt, non item Cooperator; quia hic, sicut tantum delegatam potestatem habet, audiendi confessiones, assistendi matrimonio, & aliisque actus parochiales exercendi, ita non potest illos vel omnes, vel unicum etiam alteri delegare.

Qu. 7. *An Parochi & Vicarii possint propter necessarium impedimentum sine licentia alium Vicarium sibi constituere?*

R. pr-



### De Pastore in Genere.

§  
R. primò. Si de Vicariis perpetuis substituendis est sermo, neutrum id posse, quia Titulus Vicariæ ad duos pertinere non potest, & præterea institutio perpetui Vicarij ad Episcopum spectat. R. secundò. Si de temporali Vicario ad breve duntaxat tempus sit sermo, omnino talem ex justa causa ab ijs constitui posse, etiam sine auctoritate & consensu Episcopi, ita, ut ipsi ad breve tempus totum suum officium & administrationem committant; si tamen ultra duos menses abesse cogantur à Parochia, debent licentiam ab Ordinario impetrare, & Vicarium idoneum ab eodem approbatum relinquere; quod etiam facere debent, si præsentibus quidem sint in Parochia, sed ob infirmitatem præesse officio personaliter non possint, hocque impedimentum ultra tres menses duraturum credatur.

Qu. 8. An, sicut ad Vicarium pertinet cura actualis Parochialis Ecclesie quoad forum internum, ita etiam defensio lurium parochialium, que ad forum contentiosum, fabrica, & reparationem spectant, ipsi incumbere censenda sit? R. negativè, sed hoc ad Rectorem principalem, saltem si majorem partem reddituum percipiat, spectare, cum & ipsa Parochia quoad proprietatem Rectoris principalis esse dicatur; secus sentendum foret, si de ipso jure Vicariatùs retinendo vel recuperando ageretur; tunc enim, sicut quilibet alius Curatus vel Beneficiatus, potest agere pro juribus sui Beneficij, etiam sine mandato principalis Rectoris; imò in tali casu, si uterque agere velit, Vicarius debet præferri Rectori principali, cum, sicut ipse fructus tanquam usufructuarius participat, ita etiam ipsius principaliter intersit, pro jure hoc suo defendendo agere.

### §. II.

#### De Qualitatibus extrinsecis ad Pastorem requisitis.

Qu. Quot, & quanam qualitates extrinsecæ ad Pastorem requirantur? R. tres potissimum requiri, scilicet legitimam vocationem, institutionem, & æstimationem, seu auctoritatem apud suos subditos.

A 3

MEM-



## MEMBRUM I.

## De Vocatione.

Qu. 1. *Quid sit vocatio?* R. vocationis nomine hoc loco aliud non intelligi, quàm dispositionem providentiæ Divinæ, quæ pro suo beneplacito quosdam homines seligit, & congregat ad opus ministerij Divini, & curam animarum, & illis que gratias & qualitates necessarias elargitur, ex qua quidem descriptione tria saluberrima planè corollaria deducere debent Pastores. Primum est, ut, cum teste Concil. Trid. Sess. 23. c. 2. Divina res sit Sacerdotis sancti ministerium, nullus ad id nisi à DEO vocatus se intrudat: nam, ut rectè Christus Joan. 15. ait; *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & populi vos, ut eatis, & fructum asseratis.* & S. Paulo Hebr. 5. testis, *Nullus sumit sibi honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Certè ob hanc causam S. Augustinus Serm. 98. de temp. Core, Dathan, & Abiron hiatu terræ absorptos ait, ne quis præsumptione superbi spiritûs non sibi datum à DEO Sacerdotij munus invaderet. Secundum est, ut magnificiant vocationem suam, summèque à DEO per illam se honoratos existiment, cum (teste S. Dionysio, de cæl. Hier. c. 3.) *omnium divinorum divinissimum sit, cooperari DEO in salutem animarum*, ideòque per bona (id est, statui, ad quem vocati sunt, convenientia) opera certam suam vocationem & electionem facere studeant. 2. Pet. 1. Tertium est, ut magnam de vocationis gratia spem & fiduciam concipiant, certissimè sibi persuadentes, quòd, qui operatus est in ijs velle, operaturus sit & perficere pro bona voluntate.

Qu. 2. *Ex quibus potissimum indicis colligi possit legitima vocatio?* R. ex tribus præcipuè. Primò, *ex intentione*, quæ quis ad tale officium promoveri petijt, si scilicet non outi confectandj, aut beneficij alicujus captandi occasione, aut honoris, gloriæve intuitu, aut humano aliquo respectu ad se inductus, sed, ut vocanti DEO respondeat, suamque & proximi salutem, gloriàmque Divinam promoveat, tale omnia se suscepisse advertat. Secundò, *ex aptitudine propria*, si scilicet juxta Christi consilium, Luc. c. 14. *sedens computat sumptus ad ædificandam turrim supradictæ perfectionis, & omnino sufficientes ad perficiendum, non suo dantaxat, sed* illorum



### De Vocatione Pastoris.

7  
illorum etiam, quibus conscientiam suam dirigendam, aut qualitatum suarum mensuram examinandam commisit, iudicio habere advertat. Tertio, ex Divina inspiratione, si scilicet post continuas preces, quibus à DEO manifestationem suæ voluntatis circa statum eligendum humiliter & sincerè petijt, constanter se ad hunc statum impelli, & post accuratum etiam ratiocinium, seu discussionem rationum tam pro assumendo, quàm pro relinquendo hoc statu occurrentium, confirmari se in illa voluntate, vehementiùsque impelli sentiat, atque ad hoc etiam ipsius Confessarij aut Directoris iudicium & approbatio accedat.

Qu. 3. *Quid faciendum sit illi Pastori, qui officio iam suscepto, ad id se non vocatum agnoscit; nec tamen, utut velit retrocedere amplius, statumque suum deserere potest?* R. huic quoque tria præstanda esse. Primum est, ut seriò detestetur gravem suam temeritatem, eisdemque veniam etiam à DEO humiliter petat. Alterum est, ut accuratè inquireat, quis potissimum defectus aut obex dignam susceptionem impedit, & siquidem vitæ sanctitatem non præcessisse advertat, saltem ut sequatur, efficere studeat; si prava intentio fuit, in meliorem commutet; si defectus scientiæ, aut aliarum qualitatum necessariorum obstitit, has acquirere totis viribus studeat, atque ad hunc finem, partim ipse ardentem & continuam orationem adhibeat, partim aliorum etiam, præcipuè Patronorum Cælestium suffragium imploret. Tertium est, ut, si quod ex sua inepritudine periculum invalidæ administrationis sui officij imminere iudicat, aut omnino ad tempus à tali administratione abstineat; aut certè non nisi magna cum cautela & diligentia, adhibito etiam aliorum, si fieri potest, consilio & auxilio eam suscipiat.

## MEMBRUM II.

### De Institutione.

Qu. 1. *Quid sit institutio?* R. per eam hoc loco intelligi concessionem beneficii à legitimo Superiore factam, quæ quidem concessio duplici modo fieri potest. Primò liberè, id est, ut is, qui beneficium concedit, quemvis idoneum pro arbitrio eligere possit, & hæc in Jure Canonico propriè Collatio appellatur. Secundò non liberè, quando scilicet Superior ido-



neum ab alio præsentatum approbare, eique beneficium conferre debet; & hæc strictè sumpta Institutio in eodem jure vocatur, quæ iterum duplici modo fieri potest. Primò, per solam concessionem Tituli, quod fit, quando litteræ confirmationis expediuntur, & traduntur. Secundò, per Investituram, seu actualem & corporalem immisionem in Beneficium, sive verbis tantùm investituram significantibus, & cum traditione rei alicujus, v. g. clavis aut birreti committam, sive re ipsâ per actualem introductionem ab Archidiacono, vel alio ejus loco factam.

Qu. 2. *A quo hæc institutio, vel collatio fieri debent?* R. ordinariè eam ab Episcopo, Capitulo, aliisque Prælati eam facultatem habentibus fieri debere; extraordinariè autem, vel ex mandato Legati de Latere, vel Rescripto Pontificis mandantis alicui provisionem de Beneficio fieri; inter quos tantum Collatores hoc discrimen reperitur, quòd Episcopus solus vacantes, non autem vacaturas; Legatus solùm vacaturas, non vacantes; Pontifex utraq; & quidem etiam sub conditione (quod priores duo non possunt) conferre queat, qui tamen ob concordata Germaniæ non nisi alternis mensibus beneficia conferre debet in Germania. In parochialibus verbis Ecclesiis hoc speciale est, quòd quomodocunque alioqui servata sint per Ordinarios, si vacaverint, conferri queant, ipsorum diuturnior vacatio periculum animabus creet, quòd quidem etiam sentiendum, si Parochiæ aliqua vivente quidem Pontifice vacaverint, sed is ante mortem suam nihil de ijs disposuerit, ut in cap. si Apostol. 45. de præb. in 6. dicitur.

Qu. 3. *Qui sint effectus huius institutionis?* R. duos potissimum. Primò, Jus quoddam in re, sive dominium utile ad fructus beneficii percipiendos, quo quidem privari non potest, nisi ob grave delictum id mereatur. Secundò, jurisdictio in foro conscientiæ, non autem in foro externo, unde jure communi & ordinario neque dispensare in legibus, & præceptis Ecclesiasticis (nisi ex consuetudine hoc illi interdum competat) neque in votis aut juramentis, nec excommunicare quemquam, aut aliâ censurâ ferire potest.

### MEMBRUM III.

#### De Auctoritate.

Qu. 1. *Quid sit Auctoritas?* R. esse estimationem, sive opinionem.



opinionem magnam de alterius probitate, diligentia, ac doctrina conceptam; dicitur autem opinio, quia contingere potest, ut interdum quis auctoritatem habeat ad tempus, etiam si dictæ qualitates, vel omnes, vel aliquæ saltem earum à parte rei non reperiantur, si scilicet Parochus quispiam necdum cognitus sit à suis Parochianis; in tali enim casu tamdiu præsumitur bonus, prudens, & doctus, quamdiu contrarium non constat.

Qu. 2. Quare necessaria tantoperè sit hæc auctoritas Parocho? R. ob tres potissimum causas. Primò, ad DEI gloriam, & Ecclesiam amplificandam; hic enim vel maximè Parochis applicari potest illud Christi saluberrimum monitum Matth. 5. *Sic luceat lux vestra (id est, vita & functiones) coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in celis est.* Secundò, ad doctrinam commendandam; nam ut sapienter advertit Petrus Chrysologus s. 167. *Magisterii auctoritas constat ex vita: docenda faciens perficit Auditorem; è contrario verò, cuius vita despicitur, restat, ut etiam predicatio contemnatur, uti S. Bernardus s. 2. de resurr. loquitur; hinc rectè monet S. Laurentius Justinianus s. de conflictu interior. cap. 2. Dabis vocatus vocem virtutis, si, quod suades, prius tibi illud cognoscaris persuasisse: validior operis, quàm oris vox est. fac, ut loqueris.* id, quod S. Gregorius exemplo S. Basilij pulchrè confirmavit, dum de eodem dixit: *Tonitru erat eius oratio, quia vita erat fulgur; unius namque splendor, alterius incendium est.* Tertiò, ad fructum faciendum, & virtutem installandam, id quod Concilium Tridentinum sequentibus verbis indicat: *nihil est, quod alios magis ad pietatem & cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se Divino ministerio dedicarunt; cum enim à rebus seculi in altiore locum sublatis conspiciuntur, in eos tanquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisq; sumunt, quod imitentur; quapropter docet omnes vitam, morésque componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave moderatum, ac religionis plenum præferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis anteferant venerationem; alioqui misera Sacerdotum conversatio fit misera plebis dominica subversio, ut S. Bern. loquitur; rationem verò hujus efficacis pulchrè*



pulchre reddit S. Gregorius in past. p. 2. c. 3. dum ait: *Haec vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis commendat; quia, quod loquendo imperat, ostendendo adorat, ut fiat.* Quam amplius autem hic fructus sit, more suo eloquenter declarat S. Chrysostomus homil. 13. in Genes. his verbis: *Multò fidelior est, & certior doctrina operum, quam sermonum: nam qui talis est, & silens loqui, & cum non videtur, docere potest, & alios quidem, qui illum vident; alios vero, qui de illo audiunt; & multà fruatur DEI gratià, cum efficitur, ut non solum per se, sed & per alios, qui eum vident, Dominus suus glorificetur; talis per mille linguas & ora multas gratias offert DEO.*

Qu. 3. *Quibus mediis comparanda & conservanda sit auctoritas?* R. tribus potissimum. Primò, virtute & sanctitate vitæ: nam, ut rectè S. Bernardus ait: *Virtus mater gloria (& auctoritatis) est; sola enim est, cui gloria iure debetur, & securè impenditur.* Quæ autem sine virtute est gloria, propter invidiam indebitè venit, propter affectatur, periculosè captatur. Secundò, generoso contemptu rerum mundanarum: nam, ut S. Augustinus Epist. ad Macedonium ait: *Virtus (& ex consequenti etiam auctoritas) est pluris aestimanda est, quò plura contemnit; magna virtutis est cum felicitate luctari; magna felicitatis est, à felicitate non vinci: cujus ratio ulterior est, quia, cum plerique homines mundani summam de honoribus, divitiis, & voluptatibus æstimationem concipiant, & propter impossibile sibi putent, animo ipsidem non adherere, metitò velut hominem de cælo lapsum suspiciunt, & venerantur, si quem viderint, generoso animo supradicta contemnerent.* Tertiò, fuga nimie familiaritatis cum Parochianis, & aliis Sæcularibus, quod medium insinuavit Thomas Kemp. l. 1. c. 8. dum dixit: *Quandoque accidit, ut Persona ignota et bona fama luceat, cuius tamen presentia oculos intuentium obscurat. Putamus aliquando placere ex coniunctione nostra, & incipimus magis displicere ex morum improbitate in nobis considerata.*

## §. III.

## De Qualitatibus intrinsicis Pastoris.

Qu. 1. *Quot, & quæ qualitates intrinsecæ requirantur ad Pastorem?*



*Pastorem?* R. tres potissimum, quas rectè nonnemo per gradus assignavit, dum dixit, in Pastore requiri magnam, id est, sufficientem scientiam, majorem prudentiam, & maximam sanctitatem, cujus quidem muneris rationem partim in ipsis Pastoribus ovium materialium reperimus, utpote quos sano corpore, bonis oculis, & rationis usu præditos esse oportet, partim verò ex Capit. Cùm in cunctis. in principio de electione colligitur, ubi dicitur, ut Parochus censeatur idoneus, tria concurrere debere, *ætatis maturitatem* ( seu prudentiam, quæ ante annos non venit ) *morum gravitatem*, per quam virtus, & vitæ sanctitas intelligitur, & *Scientiam*.

## MEMBRUM I.

## De Sanctitate.

*Qu. 1. In quo consistat Sanctitas?* R. I. in genere eam consistere in hoc, quòd quis se ipsum & suos actus omnino DEI servitio consecret; hoc enim Sacerdotis nomen, quod idem significat, ac sacra dos, indicat. R. secundò in specie tria ad eam secundùm S. Thomam 2. 2 qu. 81. art. 1. requiri. Primò, munditia seu innocentia summa, ut dicere possit: *Quis arguet me de peccato?* Secundò, virtutum excellentia: nam, ut Thomas Kemp. l. 4. c. 4. ait: *Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, & aliis bona vita exemplum præbere*; ut, quemadmodum idem Auctor l. 1. c. 19. dicit: *Talis sit interior, qualis videtur hominibus extrinsecus*. Tertiò firmitas atque constantia, quia, ut S. Thom. l. c. ait, per sanctitatem quis applicatur DEO, ut fini ultimo, & primo principio, hujusmodi autem oportet maximè immobilia esse; unde dicebat Apost. Rom. 8. *Certus sum, quòd neque mors, neque vita me separabit à charitate DEI*.

*Qu. 2. Quare tanta sanctitas requiratur in Parocho?* R. ob sequentes causas. Primò, quia dat functionibus illius *authoritatem*, cùm, ut priori §. dictum est, Magisterij auctoritas ex vita constet, hinc & ipsi Ethnici Magistri olim virtutem simulârunt, ut majorem magisterio suo, & doctrinis auctoritatem conciliarent. Secundò, quia dat *efficaciam* juxta illud Christi Jo. 15. *Qui in me manet, & Ego in eo, hic fert fructum multum*, E contrario, si linguis hominum loquatur & Angelorum, charitatem autem non habeat, erit velut æs fonans,



sonans, & cymbalum tinniens, teste S. Paulo, 2. Cor. 12. ut alij ajunt, tormentum explosum globo carens; imò non tantum non prodest sine sanctitate, sed etiam nocet, ut advertit S. Chrysoft. homil. 38. ad populum dicens: *si non habueris opera, tantum loquens, non profecisti, sed et potius lassus melius est tacere. Quare opus? opus mihi reddis impossibile. Cogito namque, quòd, si tu tanta differens non efficias, multo magis ego veniam dignus sum.* Tertiò, quia dat securitatem: dicitur enim à triplici periculo, quod curam animarum gerentibus imminet, scilicet, ne vana gloria efferantur ob felices successus; ne imbuantur moribus & vanitate sæculari; & ne frangantur difficultatibus, & ab incepto resiliant.

Qu. 3. *Quibus mediis uti debeat Parochus ad dictam sanctitatem comparandam?* R. sequentibus præcipuè. Primò, frequenti usu Sacramentorum, & accurata transactione exercitiorum spiritualium; nam, ut rectè dixit S. Augustinus, *rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* Secundò, generosè & constanti mortificatione suarum cupiditatum: nam, ut notum S. Augustinus ait, *augmentum Charitatis (& consequenter etiam sanctitatis) est imminutio cupiditatis;* tantum certè in sanctitate proficiet Parochus, quantum sibi vim in hac materia intulerit. Quidni ergo dicat cum Seneca: *ad manum sum genitus (imò rectius vocatus) quam ut mancipium sum mei corporis, & cupiditatum.* Tertiò, frequenti inspectione & renovatione sui ipsius; nam secundum propositum nostris cursus profectus nostri, ut rectè dixit Thomas Kemp. l. 2. c. 19. & ut S. Gregorius l. 22. mor. c. 2. dixit, *animus nostrum dum igne amoris excoquitur, semper in se servat (& auget) Charitatem pulchritudinis quotidiana innovatione servat;* nescit enim mens per torporem veterascere, qua studet per desiderium semper inchoare.

## MEMBRUM II.

### De Prudentia.

Qu. 1. *In quo Prudentia Parochi consistat?* R. in hoc, ut aptissima quæque ad finem sibi propositum media eligat, iisque sedulo utatur. Unde tria sunt hujus prudentiæ officia, scilicet bene consultare, bene judicare seu eligere, bene imperare, seu exequi.



Qu. 2. *Qua Regula in consultatione sint observanda?* R. sequentes. Prima Salomonis Eccl. 32. *Fili mi, sine consilio nihil facias, & post factum non poenitebis.* Secunda Thomæ Kemp. l. 3. c. 38. *In qualibet causa intra cum Moysse in tabernaculum, & audies Divinum responsum, & redibis instructus de multis presentibus & futuris.* Propterea namque Iosue, & filii Israël à Gabaonitis leguntur decepti, quia os Domini prius non interrogaverunt, sed nimium creduli dulcibus Sermonibus falsâ pietate delusi sunt. Tertia ab Ecclesiastico c. 6. data: *Multi sint tibi pacifici, & consiliarius sit tibi unus de mille,* scilicet vel ipse Superior tanquam interpret voluntatis Divinæ, vel, si hic haberi non potest, alius vir pius, prudens, & doctus.

Qu. 3. *Qua Regula pro Electione observanda sint?* R. item tres. Prima, quod alteri in presenti negotio suaderes, ipse prior arripe; quia charitas à se ipso incipit, cum quis sit sibi proximus: ita S. Ignatius in Regulis Electionis tuavit. Secunda, *fac modò, & elige, qua quondam facta fuisse velis;* præcipue si morti & iudicio propinquus fores. Ita DEVS ipse Deut. 32. docuit, dum optavit: *Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.* Tertia, *semper præferendum est, quod ad finem certius & abundantius consequendum iuvat;* hoc autem, ut cognoscatur, rationes pro utraque parte examinandæ sunt, & pro qua efficaciores stabunt, ea demum arripienda est; cæteris autem paribus præferenda sunt commoda majora minoribus, universalia singularibus, duratura pereuntibus, certa incertis, secuta periculosis.

Qu. 4. *Qua Regula pro Imperio sint observanda?* R. sequentes. Prima est: *periculose differtur, quod semel eligitur;* quia occasio calva est, & quovis serpente magis lubrica. Felicitas consiliorum in velocitate executionis posita est. Secunda, *Qui observat ventum, non seminat,* id est, qui nimium hominibus cupit placere, aut displicere reformidat, nunquam consilia prudenter concepra exequetur. Prima virtus prudentis est, hominum de se iudicia spernere. Si vis beatus esse, inquebat non nemo, hoc primum cogita, æternorum intuitu contemnere, & contemni. Tertia: *magnarum rerum, etsi successus non fuerit, honestus est ipse conatus;* nec honestus tantum, sed etiam meritorius, quia coronat DEVS  
voluntatem



voluntatem, ubi non invenit facultatem, teste Sancto Augustino.

Qu. 5. Quare Parochus specialiter prudentia acquirenda studere debeat? R. ob has potissimum causas. Primò, ob summam necessitatem; quia, cum aliorum dux constitutus sit, & quidem per viam multis erroribus & periculis obnoxiam, bene oculus sit, oportet, viæque, per quam ducendi sunt, apprimè gnarus; alioquin, si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt; hinc & ipse Christus Apostolos curam animarum auspicaturos Matth. 10. monuit: *Estote prudentes sicut serpentes*, id est, semper attendentes, ut caput, seu finis actionum vestrarum integer & illæsus permaneat, & ad illam omnia prudenter dirigantur. Secundò, ob summam utilitatem, quam confert ad omnes functiones fructuosè obsequandas, quod enim oculus corpori, dux viatori, magister discipulo est, hoc prudentia est homini rectè atque utiliter operanti. Hinc meritò Salomon Prov. 3. Beatum dicit hominem, qui affluit prudentia; quia melior est acquiritio ejus negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus ejus. Tertiò, ob summam dignitatem, quam possessori suo affert; ita Salomon Sap. 2. testatus est, innumerabilem sibi honestatem per manus illius venisse. hinc alibi Prov. 4. beatur: *Posside Sapientiam, acquire Prudentiam, arripe illam, & exaltabit te; glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmentum gratiarum, & corona in te proteget te.*

Qu. 6. Quibus mediis hæc prudentia comparanda sit? R. sequentibus præcipuè, quorum primum S. Jacobus offert in hæc verba: *Si quis vestrum indiget Sapientia, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter*; hoc medio usum se ipse Salomon æstatur, dum Sap. 7. ait: *Invocavi, & venit in me Spiritus Sapientia.* Secundum affert idem Salomon Prov. 13. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur.* Tertium est, dictamina quædam prudentiæ bene imprimere memoriæ, & secundum ea sua consilia contempere, actionesque formare, qualia v. g. sequentia esse possunt.



*Circa se ipsum.*

- I. Quid prodest homini, si universum mundum luceat, animæ verò suæ detrimentum patiatur?
- II. Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.
- III. Tantum virtuti adijcies, quantum ex voluptate detraxeris.
- IV. Facillimè bonus eris, si ea vitaveris, quæ vituperaveris.
- V. Quid sis, interest, non quid habeas.
- VI. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas, quasi aquilæ, & volabunt in cælum.
- VII. Oratorem te puta, si tibi ante omnes, quod oportet, persuaseris.
- VIII. Vis omnibus esse notus? priùs effice, ut neminem noveris.
- IX. Nullum conscium peccatorum tuorum magis timearis, quàm te ipsum; alium enim effugere potes, te nunquam.
- X. Magnarum rerum, etsi successus non fuerit, honestus est ipse conatus.
- XI. Melior est buccella ficca cum gaudio, quàm domus plena jurgiis.
- XII. Melius est parvum bonum cum parvo malo, quàm magnum bonum cum magno malo.

*Circa alios.*

- I. Causam tuam tracta cum amico tuo, & Secretum Extraneo ne reveles.
- II. Non quàm multis placeas, sed qualibus, vide.
- III. Pacem cum hominibus habebis, cum vitiis bellum.
- IV. Alteri semper ignoscito, tibi nunquam.
- V. Quod de alienis tractas, ex tuis judica.
- VI. Multi sunt obligandi, pauci offendendi; nam memoria Beneficiorum facilis est, injuriarum tenax.
- VII. Audisti verbum adversus Proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te distumpet.
- VIII. Quoties aliquid vel scripturus, vel dicturus es, scitorem tuorum te chirographum aliis exhibere.
- IX. Quod tacitum esse velis, nemini dixeris; si tibi non imperasti, quomodo ab alio silentium impetrabis?
- X. Cùm



X. Cùm placuerint Domino viæ hominis, etiam iniuriam convertet ad pacem.

XI. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis, quàm ille, qui per blandimenta linguæ decipit.

XII. Quod persuaseris, erit diuturnum; quod coëgeris, in occasione.

### MEMBRUM III.

#### De Scientia.

Qu. 1. *Qualis Scientia Parocho sit necessaria?* R. In genere requiri eam, quæ ad Sacramentorum administrationem, docendum populum, aliâque munia ad officium Parochi spectantia ritè obeunda est necessaria. In specie verò triplicem potissimum requiri, nempe Scientiam Cæremonialem, Theologicam, & Asceticam, de quibus paulò post seorsim agetur.

Qu. 2. *Quare Scientias has habere debeat Parochus?* R. ob triplicem causam. Primò, propter necessitatem; quia modò Conciones habendæ ad Populum, modò fides rudibus explicanda, in adultioribus firmanda, contra hæreticos popugnanda; modò vitia extirpanda, & virtutes inserenda sunt, quæ omnia non vulgarem Eruditionem desiderant, quâ, qui carent, meritò tremendam illam DEI sententiam Ose. 4. timere debent: *Tu Scientiam repulisti, & ego replam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Secundò, propter securitatem, propriæ scilicet & alienæ salutis; ut enim, qui in periculoso, magnique momenti itinere Ductoris officium suscipit, non se tantum, sed etiam alios in gravissimum periculum aberrandi, & damnorum inde sequentium conjicit, si priùs non bene indagare, & nôsse studuit; securus verò, lætùsque incedit, si exactam illius notitiam habeat; ita simili modo de Parocho alios ad æternam Patriam ducente discurrendum est; hinc meritò S. Paulus 1. Tim. 4. monuit: *Attendende, tibi & doctrina, insta in illis: hoc enim facies, & ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.* Tertio, propter facilitatem; ut enim, quò peritior est Artifex, tantò citius & faciliùs laborem in opere conficiendo susceptum peragit; ita meritò quoque Parochus tantò majorem in functionibus suis obeundis facilitatem experietur, quantò perfectior



doctrinarum ad eas ritè peragendas necessariorum scientiam est consecutus.

Qu. 3. *Quibus mediis uti debeat Parochus ad dictam Scientiam acquirendam vel perficiendam?* R. triplicibus potissimum. Primò, *recursu frequenti ad DEVM per orationem*; per hoc enim medium Salomon Spiritum Sapientiæ, Apostoli Spiritum sanctum, S. Thomas, D. Bonaventura, & alij plures Viri sanctissimi & doctissimi tam copiosum lumen à DEO impetrârunt, ut facti sint, se plus per orationem, quàm privatam laborem profecisse, ut adèò in hac materia, vel maximè locum habere videatur illud Christi effatum: *Si vos, cum sitis mali, nòstis bona dare Filiis vestris, quantò magis Pater vester celestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* Luc. 11. Secundò, *Frequenti recursu ad studium privatam*; neque enim Parochus è scholis liberatus debet Nautis esse similis, qui, cum in portum se appulisse putant, funes solvunt, vela contrahunt, anchoras figunt; sed potius tantò frequentius & constantius studiis se impendere debet, quantò majorem ex illis utilitatem sperare potest, tum ad otium, quod Parochis maximè infestum est, efficaciter fugiendum; tum ad defectum, quem in necessariis scientiis acquirendis, dum scholas frequentabat, vel propter alias occupationes, vel per propriam somnolentiam admisit, seriò compensandum; tum ad eas doctrinas, quas possidet, experientia ad studium accedente, clariùs intelligendas, firmiùsque memoriæ imprimendas. Tertiò, *frequenti recursu ad Doctores tam mortuos* (id est, libros) *quàm vivos*; hinc rectè monent Sapientes, præcipuam Parochi supellestem, Bibliothecam esse debere; eò quòd Ecclesiasticus sine libris sit quasi miles sine armis, equus sine frænis, navis sine remis, scriptor sine pennis, avis sine alis, sutor sine subulis, faber sine malleo, sartor sine acu, viator sine baculo, ut rectè Thomas Kempensis in Epilogo suorum operum advertit. Ad hos ergo Doctores, sive vivos, sive mortuos tanquam ad Consiliarios, si frequenter & assiduè recurrat Parochus, meritò sperare potest impletum iri, quod Salomon Prov. 13. dixit: *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur Sapientiâ.* Et iterum cap. 11. *Salus, ubi multa consilia*; verè enim de functionibus ac laboribus Parochi dici potest, quod idem Salomon Prov. 15. de cogitationibus præ-



nuntiavit, dicens: *Dissipantur cogitationes, ubi non est liberium; ubi vero sunt plures Consilarii, confirmantur.*

Qu. 4. *Qualem Bibliothecam instruere debeat Parochus?*  
 R. talem, quæ utilis illi futura credatur; utilis autem esse sequentes tres conditiones habeat. Primò, si *compendiosa* sit, qualis erit, si rejectis libris inutilibus paucos contineat, qui tamen propter materiæ abundantiam & varietatem multum quivalent. Secundò, si *solida* sit; qualis erit, si tales doctores contineat, qui & præ aliis solidè, practicèque tractant materiam sibi propositam, & bonos præterea indices habeant; unde nunquam facillè librum aliquem emere debeat Parochi, priusquam Indicem aspexissent; & si fieri poterit unum, alterumve folium aut caput perlegendo percurrerent, ex quo modum tractandi cognoscant. Tertiò, si *sufficiens* sit, qualis erit, si ex omni genere Scientiarum, quibus instruat esse oportet Parochum, unum saltem, alterumve bonum doctorem contineat.

Qu. 5. *Quas industrias adhibere debeat, ut ex tali Bibliotheca optatum fructum referat?* Resp. sequentes præcipue.  
 Primò, ut libros, si plures habeat, in certas classes distribuatur, quarum alia Scripturarios, Theologos, alia Concionarios, Asceticos, Juridicos, Controversistas, Historicos, Philologos, Grammaticos, Cæremoniales, Parochianos, seu illos, quibus illa, quæ ad officium Parochi spectant, annotati sunt, contineat, ut suo tempore faciliùs reperiri possint. Secundò, ut singulorum librorum rudem saltem notitiam acquirere studeat, nempe, ut sciat saltem, de qua materia tractent, id quod singulorum Indices generales accuratè perlegendo obtinebit. Tertiò, ut unum post alterum privatè perlectione integrum percurrat, prout scilicet vel occurrerit necessitas, vel materiæ utilitas suaferit. Quartò, ut, quæ per privatam lectionem notatu digniora occurrerint, pro memoria in subsidio fructuosè annotet: vix enim satis explicari potest, quanta ex tali annotatione commoda sperare possit, si ritè emendat fuerit, uti non pauci propriâ experienciâ didicerunt.

Qu. 6. *Quomodo fructuosè instituere debeat hæc Annotationes?*  
 Resp. dandam esse operam, ut notata sequentes conditiones habeant. Primò, ut *selecta* sint, hoc est. non qualvis Historias, Sententias, aut Conceptus, sed raros, & ad propositionem



scopum aptissimos comprehendant. Secundò, ut *ordinata* sint; quod obtinebitur, si vel ea, quæ ad quamvis virtutem & vitium pertinent, in separato Quaternione annotentur; vel certè, si promiscuè omnia scribere magis placet, per accuratum, & in suas partes bene digestum Indicem indicetur, quid quovis in loco reperiri queat. Tertiò, ut *succincta* sint, id est, ut sententiæ quidem S. Scripturæ & SS. Patrum non nisi brevissimè annotentur; historiæ verò & aliæ res hujusmodi, non fusè, sed tantum, quantum ad substantiam rei cognoscendam necesse videbitur, scribantur, loco, in quo copiosius descripta reperiri queant, in margine studiosè annotato.

## MEMBRUM IV.

## De Scientia Cereemoniali.

Qu. 1. *Quas partes involvat Scientia ista?* Resp. has præcipue. Primò, *Scientiam Rubricarum*, pro officio Divino ritè recitando in Breviario, & SS. Missæ Sacrificiò religiosè offerendo in Missali præscriptarum. Secundò, *Scientiam rituum* in Sacramentorum administratione observandorum, qui plerumque in Ritualibus Diocesanis solent explicari. Tertiò, *Scientiam Cereemoniarum & consuetudinum* in aliis parochialibus functionibus servandarum, quales sunt, quæ in Processionibus, Benedictionibus, Concionibus, Catechesibus, Sepulturis &c. solent adhiberi, vel pariter & ex Ritualibus, vel aliorum informatione addisci debent.

Qu. 2. *Quid circa has Cereemonias & Ritus præcipuè observandum sit?* Resp. Sequentia procuranda. Primò, *dignæ estimatio*, ad quam quidem conciliandam non parùm proderit, si ponderetur intentio Ecclesiæ, triplicem; eumque præstantissimum finem in earum institutione præfigentis, nempe ut omnia officia Ecclesiastica ordinatè, reverenter, & uniformiter peragantur, atque adeò instructio (ad quam ejusmodi Cereemoniæ sunt aptissimæ) devotio & ædificatio major in Populo procuretur. Secundò, *sufficiens cognitio*, quæ quidem gemina esse debet, scilicet ipsarum Cereemoniarum, & obligationis, quæ graviter, vel leviter obligatur Parochus ad easdem observandas. Tertiò, *Religiosa observatio*, quæ requirit, ut non tantum ipsi Ritus præscripti observentur; sed



insuper etiam pij illi affectus, quos in eorum institutione tendit Ecclesia, excitentur.

*Dubia moralia.*

Qu. 1. *Quanta sit obligatio ad has Cæremonias & Ritus servandos?* Resp. pro resolutione hujus Quæstionis notandum est, duplicis generis Rubricas ab Ecclesia præscriptas esse, præceptivas scilicet & directivas; illæ ex genere suo peccatum mortale obligant, nisi parvitas materiae, aut inadvertentia excuset, (uti sentit communis sententia contra Legendum, Præcep. 1. l. 3. c. 2. l. n. 9. asserentem, eas non obligare ad mortale, nisi ratione contemptus) hæc de conditione duntaxat sunt, atque adeò sub nullo peccato obligant. Tamb. & alij apud P. Georgium Gobat Alph. Sacrif. n. 1. docent. Hoc notato, ut cognoscere possit Pastor obligationem suam ad dictas Cæremonias observandas, sequentibus regulæ illi servire possunt. Prima Regula: quandocumque Rubricis dicitur, aliquem, qui certam aliquam cæremoniam culpabiliter negligit, graviter peccare, aut gravissimè, si omissa cæremonia ad integritatem Sacrificij vel Sacramenti pertinet, certum est, peccatum mortale committi. Ita communiter sentiunt Doctores apud Gavantum. Secunda Regula: Etiam illæ Rubricæ præceptivæ censendæ sunt, quibus Auctores concorditer docent, quòd obligent sub precepto gravi, quales sunt de loco celebrandi non prohibendo de ara consecrata, de dispositione corporis & animi, seu peno à peccato gravi, & cibo; de Ministerio, Missali, Calice, Patena, Corporali, Palla, de Canone integrè recitando, prima purificatione cum vino, de numero, munditie & integritate, & Benedictione plerarumque vestium Sacerdotum, excepto fortè cingulo. Ita idem. Tertia Regula: graviter peccat, quicumque receptos & approbatos Ecclesiæ Catholice ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi solitos pro libitu omittit, aut in alios mutat, nisi consuetudo legitime introducta, aut parvitas materiae excuset. Ita Concilium Trid. Sess. 7. can. 13. anathemate ferentem, qui secus docuerint. Quarta Regula: Etsi pleræque Rubricæ & Ritus absque omni, vel certè saltem mortali crimine negligi possint; graviter tamen peccaret, qui ex



tempus id faceret, saltem, si contemptus talis in Pontificem, aut alium Superiorem tenderet, quod addo, quia Tamb. Sotus, Lugo, apud & cum P. Gobat n. 378. rectè advertunt, non quemcunque contemptum sufficere ad peccatum mortale, atque adeò, si contemptus in eo tantùm consistat, ut dicat: hanc Cæremoniam non magnifacio, quia parvi momenti est, vel quia non tanti videtur æstimanda, ut propter eam à me negligatur propria commoditas: durum foret, talem peccati mortalis damnare.

Qu. 2. An, si quis prævidet se non posse v. g. sacrum, nisi Cæremoniis aliquot omissis facere, nihilominus possit sacrificare? Resp. in tali casu perpendendum esse Cæremoniarum omitterendarum & causarum ad sacrificandum impellentium gravitatem, & ex eorum inter se facta comparatione judicandum esse, an consultius sit, sine talibus Cæremoniis sacrificare, quàm ob earundem servandarum impossibilitatem aut difficultatem omittere Sacrificium. ita Suar. Tamb. apud & cum P. Gobat. Alph. Sacrif. n. 384.

## M E M B R U M V.

## De Scientia Theologica.

Qu. 1. Qualem Theologia Scientiam habere debeat Pastor? Resp. quadruplicis. Primò, *Scholastica*, sic dicta, quia plus speculationis habet, atque adeò quæstiones copiosiores concertationi Scholasticæ materiam offerentes tractat, cujus aliquam saltem, licet rudem notitiam habere deberet Pastor; tum ut majori cum Auctoritate Doctoris gerat officium; tum ut majori cum dignitate & minore errandi periculo Verbum DEI exponat. Secundò, *Moralis*, quæ potissimum ad conscientiam dirigendam ordinatur, atque adeò præ omnibus aliis necessaria est illi, qui curam animarum suscepit. Tertio, *Positiva*, quæ in explicando S. Scripturæ sensu versatur; sic dicta, quia ponit & statuit firma Theologiæ principia, ex ipsis S. Scripturæ arcanis petita, cujus necessitatem S. Aug. fratribus Eremitæ more suo egregiè sequentibus verbis demonstravit: *Legite, Fratres mei, Scripturam Sacram, in qua, quid tenendum sit, & quid fugiendum sit, plenè invenietis. Legite eam, ne caci sitis, & duces caecorum: Legite eam, quia omni melle dulcior, omni pane suavior, omni vino hilarior inven-*



venitur. Quarto, *Controversa*, quæ potissimum in doctrinis Fidei contra hæreticos defendendis occupatur, adeo necessaria est Pastori, ut S. Ambrosius dicere ausus sit, cui qui talem scientiam non habet, Sacerdotium appetere non debere, nec locum illius præsumere usurpare, qui fulgore sapientia suæ Populorum potest corda lastrare.

Qu. 2. *Quid de Theologia Scholastica potissimum observandum?* Resp. primò, ut breve quoddam compendium totius Theologiæ hujus, qualia passim reperiuntur, percurrat. Secundo, ut materias pro praxi magis necessarias ab aliis sece- nat, majoremque ijs penetrandis diligentiam adhibeat, tales sunt de DEO Trino & Uno, de Angelis quoad substantiam & vires, Beatitudine, peccato originali, Gratia, Incarnatione &c. Tertiò, ut pro his clariùs intelligendis constituto Auctorem quendam succinctè & clarè eas explicantem, quales meritò censerì possunt Gregorius Valentia, Thome- nus, Becanus, & similes, studiosè evolvat; hæ enim in- struxæ sufficere possunt ad hoc, ut optatum in hoc studio factum, quantum scilicet sufficit ad Officium suum securè & fructuosè peragendum, ferat.

Qu. 3. *Quid de Theologia morali sit observandum?* Resp. primò, ut diligenter nôsse studeat Auctores, qui varias materias accuratius pertractant, ut suo tempore ad eos recurrere possit: sententiarum item de quavis materia varietatem quam vel ideo bene addiscere debet, quòd frequenter resolu- tiones ab hac scientia dari solitæ potissimum auctoritate mut- tantur. Secundo, ut Mercatorum eas merces, quas frequen- tiùs emi experiuntur, in majori copia ementium morem le- cutus, eas materias, quæ crebriùs in praxi occurrunt, à reli- quis secernat, easque fortiùs memoriæ imprimere studeat, ubi interdum plus otij nactus fuerit, certæ cuipiam materiae v. g. de restitutione, pœnitentia, matrimonio, conscientia, Legibus &c. longius aliquod tempus impendat; dici enim va- let, quantoperè profit ad insignem aliquem profectum faciendum hac in scientia, si omnes vires & studium ad un- eam materiam exactè discutiendam, memoriæque impen- dendam convertantur. Tertiò, ut semper aliquod com- pendium ad manus habeat, & ex eo singulis, quantum fieri potest, diebus, unum, alterumve folium aut articulum per- currat.



ocurrat; sed & ipse sibi frequenter casus, qui circa varias materias occurrere possunt, obijciat, & quomodo solvi debeant, dispiciat.

Qu. 4. *Quid de Theologia positiva observandum sit?* Resp. sequentes Industrias ad profectum in ea faciendum observandas esse. Primò, ut bene perspectos habeat libros S. Scripturæ, atque in eorum lectione vel auditione quotidiana sedulo atque constanter se exerceat: nam, ut S. August. l. 2. de doct. Christ. ait, prima observatio hujus laboris est, nôsse istos libros, etsi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Secundò, ut Regulas ad verum Scripturæ sensum rectè intelligendum à variis traditas bene percipiat, easque interdum, ubi occasio dabitur, suis locis applicet; quem in finem proderit legisse, vel Gregorium Valentium in analysi fidei, vel Joannem Driedo, l. 2. & 3. de dogmat. S. Script. vel Nicolaum Serarium in prolegomenis S. Scripturæ, aut alios parvos libellos hac de materia editos. Tertiò, ut difficiliores quoque S. Scripturæ locos in ipsa lectione occurrentes annotet, ut suo tempore eorundem solutionem ex Auctorum interpretatione addiscere possit: multas difficultates ipsemet non difficulter solvet, si sequentes duas regulas à S. Augustino, lib. 3. de doctrin. Christ. traditas bene observet. Prior est. *Quidquid nec ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem referri potest, figuratè & metaphoricè accipiendum est.* Posterior est: *si præceptiva est locutio S. Scripturæ, aut flagitium vetans, aut Beneficentiam iubens, propriè accipiendâ est; si autem flagitium videtur iubere, aut Beneficentiam vetare, figurata locutio censendâ est:* hinc propriè accipiendâ est locutio ista: si esurierit inimicus tuus, ciba illum; secus verò de hac sentiendum: hoc enim faciens congeres carbones ignis super caput ejus.

Qu. 5. *Quid de Theologia Controversa sentiendum, & observandum sit?* Resp. tres potissimùm industrias observandas. Primò, ut præcipuas hæreses nostro præcipuè tempore, Patriâque magis grassantes (quales sunt Lutherana, Calviniana, & Zwingliana, & Politicorum, in quavis fide aliquem salvari posse volentium) cognoscere studeat; quem in finem compendia quædam sive manuscripta, sive impressa, v. g.



Manuale Becani, Corvini, Clypeus Fidei, Colloquia P. Chri-  
stophori Pflaumeri servire poterunt. Secundò, ut funda-  
mentales quasdam doctrinas & materias, ex quibus tanquam  
primis principiis ferè omnes aliæ fidei conclusiones depen-  
dent, solidè apprehendere conetur, quales v. g. sunt de Justitia  
Controversiarum, de Ecclesia, de Verbo DEI, de Vocacione  
Ministorum, & maximè de tali syllogismo, quo non arripere  
possint uti, & utantur ad fidem contrariam probandam  
aversarij, pro probatione fidei suæ afferendo. Tertiò, ut  
quoniam variæ admodum sunt Personæ hæresi infectæ, ad  
quarum conversionem cooperari debet Pastor, bene animè  
studeat genium singularum, modumque efficacem cum illis  
dem de erroribus objiciendis agendi, quem quidem pulcherrime  
Becanus in præfatione sui Manualis docet.

## M E M B R U M VI.

## De Scientia Ascetica.

Qu. 1. *Quid intelligatur per hanc Scientiam Asceticam?*  
Resp. intelligi eam scientiam, quæ ad perfectionem ob-  
tinandam, atque etiam ad vitia eradicanda, virtutèque pro-  
tandam ordinatur: tantòque magis necessaria est Pastori,  
quantò magis proprium est illius officium, animas sibi com-  
missas dirigere & juvare, ut quisque perfectionem suo statui  
convenientem consequatur.

Qu. 2. *Quid potissimum sit observandum circa hanc Scien-  
tiam?* Resp. primò, ut solidus modus addiscatur cognoscen-  
di vocationem, statumque à DEO præordinatum eligendū,  
quem quidem in finem libellus ea de re ex instituto edidit,  
v. g. Lessij, aut Manuale Sodalitatis servire poterunt. Se-  
cundò, ut natura perfectionis, vitiorumque ac virtutum, illarumque  
media, quibus eas acquirere, aut eradicare valeamus, bene  
cognoscantur, quem in finem servient, Trivium Caleste,  
quod est compendium Asceseos ex optimis Auctoribus colle-  
ctum, Alberti Magni Paradysus, Jacobi Alvarez tractatus de  
Vitiis & Virtutibus &c. Tertiò, ut tentationes & afflictio-  
nes potiores variorum statuum, mediæque solida & oppor-  
tuna ad easdem superandas, vel æquo animo supportandas  
dignoscantur; pro quo scopo obtinendo proderit Alphonsus  
Rodriguez.



Rodriuez p. 2. tract. 4. Ribera de tribulationibus, vel etiam Pædagogus Christianus in 2. parte fusè hac de re agens, Clypeus Patientiæ à Corero conscriptus &c.

Qu. 3. *Quibus mediis utendum sit ad hanc Scientiam comparandam?* Resp. sequentibus præcipuè. Primò, *Studio insignis perfectionis & familiaritatis cum DEO*: hoc enim medio plerique SS. Patres, aliique celebriores Ascetæ tantam rerum asceticarum noticiam sunt adepti: Undè rectè Thomas Kempensis l. 3. c. 43. DEVM sic loquentem introducit: *Ego sum, qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures æterna veritatis capiat rationes, quàm, si decem annis studisset in scholis.* Secundò, *Instructioe periti Magistri*, quo medio antiqui olim Eremitæ usi ad tantam cælestium rerum noticiam pervenerunt. Tertiò, *Accuratâ, & frequenti lectione Ascetarum*, eorum præcipuè, qui magis hac in scientia excelluerunt, & meliorem ordinem, copiosorem materiam, & clariorem proponendi modum observant, & afferunt. Qui quidem Ascetæ ad tres ordines revocari possunt, quarum prima SS. Patres, secunda Concionatores, tertia alios Auctores, qui integros tractatus de perfectione, aut virtutibus & vitiis scripserunt, continet; de quarum posterioribus duabus classibus nihil speciale occurrit monendum, nisi quòd magno selectu sint arripiendi & legendi; ex primæ verò classis Auctoribus, nempe SS. Patribus, ut optatus fructus referatur, rectè monent nonnulli, sequentes tres industrias observandas esse. Primò, ut bene discatur, quinam ab Ecclesia inter SS. Patres censentur, & quas potissimùm materias singuli pertractarint: Item quo dicendi genere quisque maximè excelluerit: nam S. Ambrosius in sensu allegorico, S. Hieronymus in sensu literali, S. Aug. in anagogico, S. Gregorius in morali, præ cæteris excelluisse dicitur. Secundò, ut bene nôsse studeat, quantum auctoritatis iisdem tribuendum sit, videlicet quòd, quando omnes unanimiter circa aliquam doctrinam consentiunt, & hæc ab Ecclesia vel Pontificibus, ut vera recepta, & approbata est, infallibilem auctoritatem habeant; si autem non recepta sit, metaphysicè quidem fallibilem, moraliter verò infallibilem auctoritatem retineant. Si denique singuli vel pauci tantùm aliquam doctrinam tradant, humanam tantùm, licet extraordinariam auctoritatem



mereantur. Tertiò, ut nôit præcipua quædam præcepta seu regulas, quæ in eorum lectione observandæ sunt, quæ v. g. sunt, quòd multa frequenter potiùs per modum exaggerationis, quàm ad suam sententiam indicandam pronuntiant; quòd, ubi sibi contrarij sunt, eorum auctoritas sit præferenda, qui magis ad Ecclesiæ sensum accedere videantur; quòd, ubi in quibusdam locis de eorum mente non constat, aut omnino à veritate aberrâsse creduntur, ex alijs eorum libris, locisve de illorum sententia judicandum sit.

## M E M B R U M VII.

## De Scientia Iuris Canonici.

Qu. 1. *Quare Pastor scientiam hanc comparare debet?* Resp. ob triplicem causam. Primò, ut suo munere rite & dignè fungatur, quam causam Cælestinus Papa decr. 38. can. nulli indicavit, dum dixit: *Nulli Sacerdoti liceat Canonicas regulas transgredere, nec quidquam facere, quod Patrum regulis possit obviare; qua enim res dignè à nobis servabitur, si Decretalium veterum constitutionum pro aliorum libitu licentiâ permistâ repulsa frangatur?* Secundò, ut eodem munere quietè fungatur, quod vel maximè obtinebit, si meminisse poterit, se in institutionibus suis regulam ab Ecclesia præscriptam secutum, & que adeò facilè rationem DEO & Superioribus reddere poterit esse. Tertiò, ut fructuosè eodem fungatur; nam sic sperari poterit propheticam illam promissionem à Davide Psalm. 128. factam impletum iri, quâ dixit: *Beatus vir, qui non abigitur consilio impiorum (mandata DEI temerè transgredientium, sed in lege Domini voluntas eius, & erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, & fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.*

Qu. 2. *Quid potissimùm circa hanc scientiam observandum sit?* Resp. sequentes industrias adhibendas esse. Primò, ut bene discere studeat, quibus libris constet Jus Canonicum, & quomodo illi citari soleant. Secundò, ut pariter adhibeat, quantam dicti libri auctoritatem habeant, scilicet talis, qualem habet auctor, qui ante illum textum citatur. Unde si cum Pontifex definitivo modo protulisse dicitur, infallibilem habet; si aliquis ex sanctis Patribus, magnam, sed non infallibilem.



infallibilem; si Juris civilis Constitutiones citantur, tum attendendum est, an aliis Constitutionibus Pontificum in Decretalibus libris, aut cæteris, qui infallibilem auctoritatem habent, insertæ sint, & tunc eandem cum ijs Constitutionibus auctoritatem habent, ut colligitur ex illo Bonifacij effato: *Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram imperimus*; si non sint insertæ, tum de se quidem nullius momenti sunt, ex benignitate tamen Sacrorum Canonum in forum Ecclesiasticum recipiuntur, dummodo s. Scriptura, Canonicis sanctionibus, vel bonis moribus non aduersentur; nam huc spectat illud Lucij Pontificis: *sicut Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum Canonum statuta Principum Constitutionibus adiuvantur*. Tertiò, ut Compendium aliquod Juris Canonici, vel ab Henrico Canisio, vel Vallensi, vel Lancelloto, vel Corvino, aliisque conscriptum perlegat, & ex eo rudem saltem rerum ad hanc scientiam pertinentium notitiam acquirere studeat, præcipuè autem aliquas materias frequentius occurrentes, quales sunt v. g. de Sacramentis, Nuptijs, Ecclesijs, Collationibus, Decimis &c. accuratiùs pervolvat, atque discutiat. Porro ad hanc scientiam etiam notitia Decretorum à variis Conciliis, præsertim Tridentino factorum spectat. Unde hoc saltem accuratè evolvendum erit à Pastore, & ea, quæ de reformationibus variis decisa sunt, bene memoriæ imprimenda.

## §. IV.

## De Conditionibus prærequisitis ad Pastorem.

Qu. *Quot Conditiones prærequirantur ad hoc, ut Pastor legitime fungi officio suo queat?* Resp. tres præcipuè, scilicet ætatem, ordinem, & professionem Fidei, quas Conditiones placuit appellare, quia non tam ex natura officij suscepti, quam ex arbitrio Superioris, eas pro valida administratione exigentis requiruntur.

## MEMBRUM I.

## De Ætate.

Qu. *Qualis ætas requiratur in Pastore?* Resp. primò in genere



nere requiri ætatem maturam, eò, quòd cura animarum et artium meritò vocetur. Resp. secundò, in specie ad Parochum & Vicarium perpetuum parochialis Ecclesiæ requiritur 25. ætatis annum inchoatum saltem, idque tam necessarium, ut sine ea collatio omnino nulla sit, uti Concilium Lateranense decrevit; hinc solus Papa quoad hoc potest dispensare, si tamen aliquis Parochialem curam alicui Canonici vel dignitati annexam haberet, satis esset, si in ea foret ætate constitutus, quam ipsum principale Beneficium requirit, quoniam in tali casu parochiale Beneficium velut accessorium naturam principalis Beneficij, cui adjungitur, imitatur, atque adeo satis erit, si Parochus talis Vicarium, qui legitimam ætatem habeat, constituat.

## MEMBRUM II.

## De Ordine.

Qu. Qualis Ordo requiratur in Pastore? Resp. jure communi & ordinario saltem Subdiaconatum ad curam animarum requiri; posse tamen Episcopum dispensare, ut aliquis minoribus tantum constitutus ad parochiale Beneficium promovendi possit, modò aliàs sit idoneus, & talis, ut intra annum suscipere possit requisitum Ordinem. Hoc enim, si is, qui Beneficium parochiale obtinuit, non faceret, ipso jure, nullâ præmissâ monitione, esset privatus, ita, ut in illa vacante nullatenus illud Beneficium ei iteratò conferri possit. Ut in tit. 1. l. 3. decr. decernitur.

## Dubia moralia.

Qu. 1. An si quis legitimè impeditus est, quò minus intra annum suscipere sacrum Ordinem possit, adhuc Beneficio promoveri? Resp. negativè ex communi; quia tempus jure præfixum non currit legitimè impedito, si de pæna vel quasi pæna incidenda agatur, uti in cap. Cùm sit. 14. de ætat. & qual. habetur.

Qu. 2. An, si alicui intra hunc annum lis moveatur de Beneficio, adhuc tempus hoc currere censendum sit? Resp. affirmativè, ex c. Unde de ætat. & qual. ord. in 6. si aliquando pacificè possederit Parochiam, antequam lis moveatur, secus foret, si statim post obtentam possessionem lis ipsi fuisset intentata.



Qu. 3. *An, si quis per fraudem se inhabilem fecit, ut promoveri non possit intra annum ad sacrum Ordinem, eandem penam incurrat?* Resp. affirmativè cum Laym. l.4. tract. 2. c. 9. n. 2. quia fraus sua nemini patrocinari debet; unde & is, qui scienter, & per culpam latam reticuit impedimentum pro tali Ordine intra annum suscipiendo, privari potest Beneficio; etsi id non ante finem anni fieri debeat, quia pœna legalis statuta sub conditione, si aliquis quidpiam intra certum tempus non fecerit, non incurritur, antequam tempus tale integrè elapsum fuerit. Clem. unic. de off. Vicar.

Qu. 4. *An, si quis habeat pacificam possessionem Beneficij, & liberum exercitium, nullos autem vel modicos fructus ex eo percipiat, adhuc intra annum suscipere debeat sacrum Ordinem?* Resp. affirmativè cum Laym. in cap. Præterea, de ætate & qual. quia cura est pars principalior & dignior, atq; adeò trahit ad se minus dignam. Unde sibi imputare debet provi- sus, quod tale Beneficium acceperit.

Qu. 5. *An pariter sufficiat, ut is, qui parochialem curam actu suscepit, intra annum legitimam ætatem acquirat?* Resp. negativè cum eodem Laym. in cap. Inferiora, q. 1. n. 4. & 5. de elect. quia quando ætas certa ad Beneficium aliquod per se ac directè requiritur, eam actu habere debet possessor illius Beneficij; secus foret, si tantum per accidens, & consecuti- vè ætas aliqua ad Beneficium requireretur.

Qu. 6. *An, si quis Beneficium curatum accepit cum intentione, annuos tantum illius fructus percipiendi, & postea iterum resignandi, ad restitutionem fructuum obligatus censeri debeat?* Resp. affirmativè; quia juxta cap. Commissa, 35. de elect. in 6. Ecclesia tacitè sub hoc onere & pacto confert Beneficium, ut se intra illud tempus habilem faciat. Secus foret, si ante annum elapsum mutaret propositum, & Ordinem requisitum susciperet, quia in tali casu fraus non sortita effectum, nec Ecclesiæ damnum illatum foret, atque adeò bonâ Conscientiâ fructus etiam ante mutatam voluntatem susceptos retinere posset, ut iterum rectè discurret Laym. l.4. tract. 2. c. 14. n. 10.

Qu. 7. *An is, qui Parochiam cum intentione illam retinendi susceptam, postea mutatâ voluntate alteri idoneo Vicario tradit, fructus ante & post mutatam voluntatem susceptos retinere pos-*

re pos-



re possit? Resp. affirmative, quia, cum lex statuens privationem fructuum odiosa & pœnalis sit, non debet extendi ad casum in jure non expressum, ut idem l. c. §. alterum docet.

Qu. 8. *An, si quis cum dubio retinenda Parochia eam prosequatur, faciat fructus suos, si postea eam Vicario resignet?* Resp. Laym. l. c. §. Quæres. negative; quia, cum talis non habeat absolutam intentionem suscipiendi Sacerdotium, hoc in casu etiam non habeat conditionem legitimam requisitam ad retentionem; secus foret, si conditionatam haberet voluntatem, scilicet retinendi eam, nisi melior obveniret; quia talem intentionem utpote minimè dolosam Ecclesia non damnat.

Qu. 9. *An, si quis post Beneficium Parochiale obtentum in facultate Episcopi studijs vacet, teneatur intra annum, Presbyteratus Ordinem suscipere?* Resp. negative; quia sicut Episcopus potest dispensare quoad ipsam residentiam & administrationem, ita etiam quoad Ordinem, qui propter administrationem potissimum requiritur, dispensare poterit; debet tamen talis Parochus intra annum à tempore Parochiæ suscipiæ numerandum, Subdiaconatum suscipere, ne recedere valeat à statu Clericali, alioqui perinde jure suo privabitur, ac si que alij, qui Presbyteratus Ordinem intra annum suscipere neglexerunt, uti in cap. Cum ex eo. 34. de elect. in 6. l. 1. betur.

### M E M B R U M III.

#### De Professione Fidei.

Qu. *Quid circa hanc Professionem Fidei Pastori sit observandum?* Resp. sequentia præcipuè. Primò à quo fieri debeat, nempe à Parochis, Commendatarijs, & Vicarijs, & alijs temporalibus, quàm perpetuis Ecclesiarum curatarum, ut expressè Concilium Tridentinum Sess. 24. de refor. c. 12. requisivit. Secundò coram quo fieri debeat; scilicet vel in manibus ipsius Episcopi, vel Vicarij Generalis, uti idem Concilium p. 3. c. 5. num. 27. indicavit; unde Sede vacante, potest coram Capitulo fieri, ut rectè Garzias & alij adveperunt. Tertiò, quando fieri debeat, nempe ad minimum intra duos menses à die adeptæ possessionis; & hæc quidem professio adeò est necessaria, ut, qui eam scienter non fecerit, non quidem ipsâ possessione & juribus, sed tamen fructibus



Beneficij priuetur, & insuper peccatum mortale committat, ut Barbofa cap. de off. paroch. n. 14. & 15. ex Concil. Tridentino colligit.

*Dubia moralia.*

Qu. 1. *An possit hac professio per Procuratorem fieri?* Resp. non deesse quidem, qui negativam partem apud Barbof. acriter defendant; æque tamen probabiliter affirmativam ab ipso & aliis pluribus ibidem c. n. 3. teneri; quia nec Concilium Tridentinum, nec ipsa Constitutio Pij Quarti utuntur verbis personalitatem significantibus, atque adeò locum habet regula illa, quod, quicumque aliquid facere per semetipsum, possit & facere per Procuratorem, ut l. 1. ff. de proc. c. qui per aliam dicitur.

Qu. 2. *An, qui semel emisit professionem Fidei, eandem iterum emittere debeat, si aliam Parochiam obtineat?* Resp. affirmativè, ut iterum Barb. cum Azor, Ugol, Garzia docet, additque idem ex multorum sententia etiam faciendum, si quis eandem Parochiam semel à se dimissam recipiat.

Qu. 3. *An provisus de Parochia teneatur ultra, & non requisitus se offerre ad dictam professionem?* Resp. affirmativè cum eodem Barbofa l. c. n. 8. & 9. & Nicol. Garz. & aliis, si quidem Parochus sit Parochiæ actualis, & non habitualis tantum, id est, quæ habuit olim, & nunc habere desijt Parochianos; hæc enim, cum Beneficio simplici æquiparetur, non comprehenditur in Concilio; quod usque adeò verum putat Barbofa, ut neque eam amittere postea teneatur, si acquirat Parochianos; quia quando Ecclesia revertitur ad pristinum statum, Titularis non dicitur de novo provideri, sed continuari; qui autem continuat, non attentat, ut habet Glossa.

Qu. 4. *An Parochus negligens professionem Fidei, tempore præscripto facere, teneatur fructus amissos restituere in conscientia ante declaratoriam sententiam?* Resp. ita quidem sentit Azor, & plures alios apud Barbof. ob Clem. 2. Ut lite. sed, cum lex ista sit pœnalis, rectius ipse cum Sanch. Navarr. & aliis censet, non obligari talem Parochum ad fructus restituendos, priusquam ad eos per sententiam declaratoriam condemnentur.

§. V. De



## §. V.

## De prærequisitis ad executionem muneris Pastoralis.

Qu. Quid potissimum observare debeat Pastor in executione sui muneris? Resp. id breviter & bene explicasse illum, sequentia tria capita requisivit.

Pura intentio

ad augendum meritum.

Studiose operatio

ad implendum officium.

Generosa resignatio

ad tranquillandum animum.

Quæ tamen, quia fac multas, utilisque ad praxin, & fructu copiosum referendum doctrinas continent, paulò fufius, et riuſque sunt explicanda.

## MEMBRUM I.

## De pura Intentione.

Qu. 1. Qualis intentio præfigenda sit à Pastore pastoralium functionibus? Resp. in genere loquendo optimam præfigi debere; cum enim Pastor officium Divinissimum, ut supra S. Dionysio diximus, atque adeò præstantissimum etiam habeat, idèoque merito sibi applicare debeat saluberrimum illud Ecclesiastici c. 33. monitum: *In omnibus operibus præcellens esto, ne dederis maculam in gloria* (& muneris rectè colligitur, ante omnia dandam operam esse, ut in præfata mam dictis operibus intentionem præfigat, eò quòd ab omnis ferè eorundem Bonitas dependeat juxta Prophetam Simonium, omnem gloriam filia Regis ab intus habentis ferentis, Psalm. 44. & juxta commune proverbium, quod dicitur:

*Quidquid agant homines, intentio iudicat omnes.*

Resp. 2. in specie verò intentionem, ut optima sit, sequenti proprietates habere debere. Primò, ut sit *Rectissima*, id est per prudentiam ad eum scopum directa, qui omnibus actibus hominum à DEO constitutus est, ad quem proinde etiam omnia media eligere & ordinare debet; Quis autem



hic finis fit, S. Paulus 1. Cor. 10. clarè declarat, dum dicit: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in gloriam DEI facite.* Id, quod exemplo suo etiam S. Ignatius Fundator Societatis JESU, cujus primarius finis partialis est, curam animarum agere, præclarè confirmavit, dum non ipse solum semper in ore & corde habuit solemne suum symbolum: *Omnia ad maiorem DEI Gloriam*, sed etiam suos socios, velut Aquila provocans ad volandum suos pullos, identidem ad hunc scopum sibi præfigendum excitavit; imò ex hoc indicio, an scilicet oculo mentis & intentionis fixo & irretorto solem Divinæ gloriæ aspicere possent, Aquilæ in morem probavit; & siquidem talibus oculis præditos adverteret, pro genuinis pullis & filiis agnovit. Secundò, ut sit *purissima*, id est, nullam aliam vanæ propriæ laudis & gloriolæ, aut cujusquam alterius commodi, quod divinum non sit, intentionem permixtam habens, quam quidem proprietatem pulchrè S. Paulus 2. Cor. 2. indicavit, dicens: *Non enim sumus, sicut plurimi adulterantes Verbum DEI, sed ex sinceritate, sed sicut ex DEO, coram DEO, & in Christo:* quæ verba sapienter S. Gregorius de puritate intentionis explicat, dum ait: *Sicut discrimen inter Maritum & Adulterum potissimum reperitur, quòd ille utpote legitimus maritus generationem præcipuè in actu conjugali, adulter non nisi voluptatem quærat: ita summè cavendum est Operario, ne, dum in functionibus suis propriam potius gloriam & voluntatem intendit, adulterium spirituale committat.* Porro puritatis hujus indicia sequentia plerumque assignant Ascetæ: si quis, dum alios multa præclarè pro majore DEI gloria & salute animarum agere advertit, non tristetur, sed perinde gaudeat, & exulter, atque, si ab ipsomet facta forent: si perfectam in se ad omnia munia, laboriosa æquè ac facilia, vilia æquè ac honorifica, indifferentiam deprehendat: si non sit sollicitus, an actiones suæ ab hominibus aut Superioribus approbentur, & prædicentur: si in occulto æquè ac publico suas functiones, & iidem æquali cum diligentia peragat: si etiam ipsam meritum cælestium magnitudinem non attendat, sed solo DEI Beneplacito moveri se sentiat, de quo quidem perfectissimo signo S. Bernardus de dilig. DEO. sic loquitur: *Delectabit sanè non tam nostra, vel sopita necessitas, vel sortita*

Instructio IV.

C

felicis-



felicitas, quàm, quòd eius in nobis, & de nobis voluntas completa videbitur. O amor sanctus & castus! O amor dulcis & suavis affectio! O pura & defacata intentio voluntatis, certe defacatior & purior, quòd in ea de propriis nihil admittitur velinquitur; quo totum Divinum est, quòd sentitur; sic agitur. Deificari est. Tertio, ut sit efficacissima, id est, non in simplici tantum velleitate, sed seria voluntate, quæ, nisi aliter impedimentum obijciatur, certè in actum proditura consistens. Hic enim locum, vel maximè habet sapientissimum illud S. Gregorij effatum: *Nunquam Amor DEI* (& ex consequenti etiam intentio, quæ est potissimus actus amoris) *vanus est; operatur enim magna, si est; si autem operari non potest, non est.*

Qu. 3. *Qua media adhibere debeat Pastor ad hanc intentionem facilius eliciendam?* R. sequentia præ reliquis adhibenda videri. Primò, ut dignam de motivi hujus, nempe gratiæ Divinæ, præstantiæ æstimationem concipiat; quòd tandem faciliè obtinebit, si bene perpendat omnes conditiones quas in præmio homines desiderant, in gloria & beneplacito DEI, præstantissimo modo reperiri: Est enim præmium maximum, utpote, quòd Beati beatitudini ipsi longè præterest. Est præsentissimum, cum eo statim momento, quo peccatum est opus bonum, DEUS in eo sibi complaceat. Est contrarium, quia pro quovis opere datur, modò in gratia sit factum, & suo genere non sit malum: Est denique inamissibile, quia non potest, ut DEUS in aliquo opere bono non semper, & totam æternitatem sibi complaceat, etiam si per reliqua opera subsequenti quis graviter peccaret, ideòque semper supplicijs adjudicaretur. Ob quas proprietates metus Chryostomus l. 2. de compunct. sequentem de præmio sententiam pronuntiavit: *Si omnino fueris dignus agere, quid, quòd DEO placeat, aliam ne require mercedem, pro hoc ipsum, quòd placere meruisti; si enim aliam mercedem require, verè ignoras, quantum Bonum sit placere DEO; si hoc scires, nunquam aliud extrinsecum munus, aut mercedem requireres.* Secundò, ut vanitatem ac falsitatem, damnumque vanæ gloriæ bene perpendat; & vanitatem quidem rebus coloribus more suo depinxit pius Ascera in libello de vanitate, l. 2. c. 6. dum dixit: *Non es sanctior, si laudaris;*



lior, si vituperaris. Quod es, hoc es; nec maior dici valet, quam DEO teste sis; salutarem verò idem alibi l. 3. c. 5. his verbis expressit. Quid est homo inde melior, quia reputatur ab homine maior? fallax fallacem, vanus vanum, cecus cacum, infirmus infirmum decipit, dum exultat; & veraciter magis confundit, dum inaniter laudat. Unde rectè S. Augustinus intulit: Laudamus mendaciter, & delectamur inaniter: & vani sunt, qui laudantur; & mendaces, qui laudant: Damnum denique idem Thomas Kemp. l. 3. c. 40. sequentibus verbis indicavit: Verè inanis gloria mala pestis, vanitas maxima, quæ à veris retrahit gloria, & caelesti spoliat gratiâ; dum enim homo complacet sibi, displicet tibi; dum inhiat laudibus humanis, privatur veris virtutibus. Unde meritò tandem concludit: Quarant Iudæi gloriam, quæ ab invicem est; at ego hanc requiram, quæ à solo DEO est; omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana æterna gloria comparata, vanitas est, & stultitia. Tertiò, ut fructus, quos secum intentio pura Divinæ gloriæ affert, sæpe secum accuratè perpendat, qui quidem in sequenti quæstione fusiùs indicabuntur.

Qu. 4. Quem fructum ex tali intentione Pastor sperare possit? R. triplicem præcipuè in vita, & triplicem in morte; & in vita quidem confert primò perfectam ad quævis officia, labores, loca, & personas indifferentiam; cum enim in uno perinde ac altero motivum suum, scilicet beneplacitum DEI inveniat, meritò perinde quoque erit, sive ad hæc aut illa opera, loca, personas curandas applicetur. Unde Sponsus dixit Sponsæ suæ, Cant. 8. Pone me ut signaculū super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quasi diceret, si me in omnibus velut præsentem consideres, meique amore agas, non multum curabis, an gravia vel levia, humilia vel alta sint, quia amor mei, & beneplacitum omnia æqualia facient. Secundò, summam in quibusvis actionibus diligentiam; si enim David. 1. Paral. ult. de se ipso factus est, se totis viribus præparasse impensas Domus DEI, eò quòd opus grande esset, & non homini præpararetur habitatio, sed DEO; quidni & Pastor excitetur ad functiones suas totis viribus peragendas, per quas scit habitationem & templum longè gratius DEO præparari? si Actores tanta cum accuratione & perfectione



personam suam sustinere conantur, si sciunt Comendatarii  
 magni Principis aut Regis honorem apparatusam; quanto magis  
 Pastor personam suam pro gloria & Beneplacito  
 DEI ritè agere studebit? Tertio, miram in quibusvis laboribus  
 & difficultatibus *Alacritatem* atque *Constantiam*,  
 enim Jacobo Patriarchæ Gen. 29. videbantur tam multum  
 in durissimis laboribus exacti, dies pauci præ amoris  
 titudine; si Operarios tantoperè ad alacritatem excitat  
 præmij sperati magnitudo & certitudo; quidni majorem alacri-  
 tatem meritò excitatura credantur in Pastore gloria & Bene-  
 placitum DEI, quæ omnibus præmiis, & ipsi etiam Beneplacito  
 diu longissimè antecellunt? ut adeò rectè dixerit purissimus  
 de imit. l. 3. c. 33. *Quantò purior fuerit intentionis con-  
 stantia securius atque constantius inter diversas iurisdictiones  
 Et si autem hi fructus per se amplissimi sint, dignique, ut pro-  
 pter eos Pastor summa cum diligentia studeat purissimis  
 actionibus suis intentionem præfigere; multò tamen purior  
 stantiores sunt fructus, quos post vitam est ei allatura; quæ  
 inter Principem facilè locum obtinet gloria magnitudo  
 cum enim hæc actionum in hac vita obitarum bonitas  
 spondeat, bonitas autem ista potissimum ex intentionis pu-  
 ritate desumatur, rectè concluditur, inexplicabilem Pastorem  
 gloriam reservari, si cum ejusmodi intentione actionem  
 peragere studeat; id, quod S. Thomas de Aquino post  
 rem cum lucidissima stella in pectore apparens, & per  
 gloria magnitudinem, quæ propter puritatem intentionis  
 ei in cælis obtigisset, significari asserens expertus est. Secun-  
 dò, *Securitas in iudicio*; nam ut rectè Thomas Kemp. l. 1. c. 1.  
 advertit, *Qui DEVM ex toto corde amat* (qualis præcæ-  
 reputari potest, qui cum intentione hæcenus descripta  
 agit) *nec mortem, nec supplicium timet, quia perfectus  
 securum ad DEVM accessum facit.* Tertio, *Liberatio à purgato-  
 torio*; hinc enim vel maximè locum habet illud S. Bernardi  
 de resurrect. effarum: *Cesset voluntas propria, & infernus  
 erit.* Certè Christus ipse B. Mariæ Magdalenæ de Pazzia  
 ste Lancizio opusc. 6. c. 11. revelavit, eum, qui in omni  
 puram intentionem præmittere studuerit, sine purgatorio  
 cælum iturum.*

MEM



## MEMBRUM II.

## De studiosa Operatione.

Qu. 1. Quid requiratur ad studiosam operationem? R.

Primò requiri, ut magna cum promptitudine & alacritate opus aliquod suscipiatur, juxta monitum S. Pauli 2. Cor. 9. *Vnusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate; hilarem enim datorem diligit DEVS.* Secundò, ut, quæ ad integritatem actionis requiruntur, partes & circumstantiæ diligenter impleantur, ut suo modo dicere cum Christo possit Pastor: *Consummatum est;* & hoc est, quod Ecclesiasticus Eccles. c. 33. monuit. dicens: *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Terriò, ut alacritati & diligentia etiam constantia jungatur; nam, ut bene advertit S. Gregorius, *incaussum bonum agitur, si ante vita terminum deseratur, quia frustra velociter currit, qui, priusquàm ad metam venerit, desicit.*

Qu. 2. Quæ media ad dictam diligentiam procurandam adhibere debeat Pastor? R. sequentia potissimùm. Primò, ut gaudium, quod ante mortem (nam si gaudium est in hoc mundo, ait rectè Thomas Kemp. l. 2. de imit. *hoc utique possidet puri cordis homo, qui nullius in operibus suis erroris admitti sibi conscius est*) in morte (nam ut idem l. 1. c. 25. ait, *gaudebis semper vespere mortis tuæ, si diem vitæ insumpseris fructuosè*) & post mortem (nam audiet lætissimam illam Christi vocem, Matth. 25. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*) ex tali diligentia sperare poterit, bene pendat; hinc enim miram animo suo alacritatem ingenerari, atque ad constantiam eundem excitari sentiet, id quod S. Paulus expertus est; hinc suos Corinthios 1. Cor. 15. sequentibus verbis excitavit & animavit: *Fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis coram Domino.* Secundò, ut bonam sibi Ideam procuret, atque ad illam in omnibus suis actionibus oculos convertat; talis autem præ reliquis cenferi debet vita & exemplū Christi, qui, uti fuit Pastor bonus, ita meritò ab eo illud ad Apostolos Joan. 13. c. dictum sibi nunc repeti imaginetur Pastor animarum: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum Ego feci, ita & vos faciatis;*



is; sicut ergo Artifices etiam minus periti, si ideam perfectam infuderint, haud dubiè perfectam quoque imaginem producent; ita meritò sperari etiam potest, Pastorem perfectissima opera producturum, si ea perfectissimis Christianis velut exemplari conformare studuerit. Tertio, ut frequenter super actiones suas reflectat, & quae emendandae videbuntur, accuratè corrigere studeat; neque enim emendari satis potest, quantas vires habeat haec reflexio ad hanc actionum humanarum perfectionem procurandam.

## MEMBRUM III.

## De Generosa Resignatione.

Qu. 1. In quo consistat hac Resignatio? R. in sequentibus. Primo, ut non statim Pastor abiciat animum, si non, ut vellet, videat proficere suos Parochianos; nam, ut Lapideus nonnemo dixit: *Sape ea, qua sanari ratione non poterunt tempore sunt sanata; non videtis, inquit S. Chrysostomus hom. 41. in Gen. quantà DEVS non longanimitate tolerat, quomodo quotidie negligimus obtemperare eius mandatis, quae sic cesset à cura nostra? Simili ergo modo nos erga Deum nostros bene affecti, magnam faciamus diligentiam. Secundo, ut non tristetur, si fortè labores suos omni fructu defraudat; sed potiùs saluberrimam S. Bernardi l. 4. de Consideratione lib. admonitionem in memoriam revocet: *Noli deus curam exigeris, non curationem. Audisti: curam illum non curat, & non cura, vel sana illum. Verè dixit quidam: non est in me dico semper, relevetur ut aeger: ita & quae so fac tu, quod non est: nam DEVS, quod suum est, satis absque tua sollicitudine anxietate curabit: planta, riga, fer curam, & tuas exspecta partes; sanè incrementum, ubi volueris, dabit DEVS; ubi non voluerit, tibi desperit nihil, dicente Scriptura, reddet DEVS cedem laborum Sanctorum suorum. Imitetur ergo Angelus magna tranquillitate dicentes, Jerem. 51. *Curavimus babilonem, & non est sanata, derelinquamus eam, & unusquisque in terram nostram.* Tertio, ut, cum Deo piofam laboribus illius benedictionem, fructumque conferit, non tam ob ipsum hunc fructum, quam ob imperatissimam DEI voluntatem lætetur, illudque Datum**



Pfal. 113. usurpet: *Non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam; quem in finem proderit saluberrimum Christi monitum in memoriam revocasse: Cum feceritis omnia, qua precepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Luc. 17.

Qu. 2. *Quare Pastor tantopere dicta resignationi studere debeat?* R. ob triplicem fructum, quem ei affert; quorum primus est *Spes* fructus etiam inexpectati secuturi; ut enim Rusticus ille, qui omnem à DEO tempestatem tranquillo animo accepit, & optimam duxit, quam DEO permittere placuit, optimos semper in agris suis fructus habere meruit; ita idem quoque Beneficium ob similem resignationem Pastor sperare poterit. Secundus, *Magna animi tranquillitas*; quia, ut bene Thomas Kemp. l. 3. c. 11. in persona Christi dixit: *Si ego sum in causa, bene contentus eris, quomodocunque ordinavero*: tunc nimirum imperabit iterum Christus ventis & fluctibus curarum ac sollicitudinum in anima concitata-rum, & erit tranquillitas magna. Tertius est, *Invicta inter difficultates Constantia*: cum enim inconstantia & tedium inter labores potissimum ex nimio fructus ex iisdem reparandi desiderio oriatur, facile inter eiusmodi difficultates immobilis & invictus permanebit, qui tale desiderium ad Divinæ dispositionis rectissimam normam moderari, atque componere studuerit.

## CAPUT II.

DE MEDIIS A PASTORE  
ADHIBENDIS.

Varia sunt media, quæ adhiberi possunt à Pastore ad finem suum obtinendum; alia enim sunt intrinseca, alia extrinseca; alia corporalia, alia spiritualia; alia positive disponunt, & juvant ad finem, alia negative tantum, quatenus scilicet varia pericula vel impedimenta remouent. De singulis hoc capite aliquid breviter dicendum.

## §. I.

## De Medijs Spiritualibus.

Qu. 1. *Qua media spiritualia à Pastore adhibenda sint?* R. sequen-